

Ad lac potum

CXCVII. Lac potum et gelatum odore spirationis, si non confitebitur qui laborat, cognoscetur; praefocantur autem et hoc homines. adiuvari autem debent, qui ab eo laborant, menta quam plurima saepius sumpta, 5 item coagulo agnino, leporino, porcino, victoriati pondere ex aqua bis terve dato. prodest et laseris radix cum posca et alvus acri clysmo ducta.

Ad fungos

CXCVIII. Fungis venenatis cum quis laborat, primum nauseat nec quicquam magnopere reicit; postea stomachi ventrisque et praecordiorum 10 infinitos habent dolores, manant sudores frigidi per artus, quin et ipsi gelantur celerrime, nisi cito succurritur. adiuvantur autem radice ea, quam nos edimus, acri quam plurima per se vel cum sale manducata eiusque semine, si ipsa non fuerit, potio ex vino. item ruta ex aceto trita et pota proficit nec minus cinis lixivium ex sarmentis pota. adiuvat et nitrum 15 aceto dilutum et datum eodemque modo aeris flos datum et mel cum aceto dilutum quam plurimum devoratum. oportet autem et oleo ante multo potio cogere eos reicere, quantumcumque potuerint, et eodem calido subinde artus perunctos pressius fricare.

Ad irudinem

20 CXCVI. Irudinem, quam quidam sanguisugam vocant, devoratum et adhaerentem faucibus eoque ipso molestiam titillationemque quandam praestantem excutere oportebit aceto quam plurimo potio per se vel cum sale aut nitro aut lasere. idem faciunt et nivis glebulae quam plurimae devoratae.

25 Medicamentorum malorum non nocet nominum aut figurarum notitia, sed ponderis scientia. hanc porro medicus nec quaerere nec nosse debet, nisi diis hominibusque merito vult invisus esse et contra ius fasque professionis egredi. illas autem, figuras dico et nomina, necesse est ei scire, ut et ipse devitet, ne per ignorantiam aliquam sumat et aliis idem praecipere